



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. II. Deum esse à nobis amandum plùs omnibus aliis rebus, plùsque etiam, quàm nos ipsos amemus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

CAPUT II.

DEUM esse à nobis aman-
dum plus omnibus aliis rebus,
plúsque etiam, quàm nos ipsos
amemus.

In omnibus necessarium, & ma-
gni esse momenti rectum ordi-
nem ducimus, maximè talem
ducere in amando debemus. Si
enim hic deesset, omnes simul virtutes in ho-
minum vita deficerent: utpote quæ, D. Au-
gustini sententia nihil aliud sunt, quàm a-
mor rectè ordinatus. (L. 15. de Civ. c. 22.)
Definitio brevis, & vera virtutis, ordo est amoris.
Jam verò, ut rite ordinatus sit amor, debet
justè distribui; adeò ut, quemadmodum ejus
objecta non paria omnia meriti sunt, sed alia
aliis amabilia; sic neque omnia æqualiter,
sed alia plús, alia minùs amentur. Quapro-
pter, cum DEI amabilitas immenso interval-
lo cujusvis alterius rei amabilitatem excedat;
consequens enim verò est, illius quoque a-
morem debere quibuscunque aliarum rerum
amoribus eodem intervallo antestare: nec
propterea ullum esse in terris tam nobis cha-
rum,

rum, & amabile objectum, quin illud præ DEO minimi faciamus, & parati simus deferere: exclamantes, ubi fortè eorum quodpiam ipsi vellet præhaberi: *Quis ut DEUS? Quis ut DEUS?* Heus! quid hoc temeritatis, impudentiæque est? Itane igitur aliquem esse, qui audeat cum Altissimo, cum summo, cum incomparabili in contentionem venire? Vivat DEUS, regnet DEUS, cedat DEO, quidquid est, si tamen quidquam verè est, præter DEUM.

2. Utque manifestius agnoscat, quàm deceat, divinum ità amorem quibuslibet aliis præferri; consideremus paulisper, quænam sint objecta amari à nobis præter Deum solita. Triplex esse illorum genus videbimus: & primò sumus quidem nos ipsi, quibus nihil inter res creatas habemus intimius, quòdque plùs à nobis amari sui gratià consueverit. Sequuntur personæ, quas itèm, ceu nos, haud alià, quàm sui gratià, vel ob præclaras earum dotes, vel propter aliquam nobiscum affinitatem, vel ob gratuitam erga nos beneficentiam diligimus. Succedunt postremò res, & personæ, quas nequaquam per se ipsas, suique causâ, sed quatenus solummodo nobis, aliisque personis sui causâ

ada-

adamatis utiles sunt, solemus diligere, ceu exempli gratiâ, opes, voluptates, doctrinæ, honorum insignia. Quodnam ergo inter omnia hujusmodi objecta unum est, cui DEUS non mereatur, quantum ad æstimationem, atque amorem, sinè ulla comparatione anteferri?

3. Non esse illa ultimi generis, bona scilicet solius utilitatis respectu amabilia, tam extra omnem controversiam est, quàm certò constat, nihil proportionis reperiri inter fructum, quem ex eorum omnium completionem, intèrque eum, quem ex DEO summo bono, & ultimo nostro fine percipimus. Fac enim, consequatur quispiam, quantum in terris obtineri potest, voluptatum, divitiarum, gloriæ, potentix: poteritne, rogo, ex bonis adeò imperfectis, atque evanidis vel umbram referre ineffabilis illius felicitatis, quam DEUS suis in cælo possessoribus confert? reddens illos plenè beatos, tum quod spectat ad corpus, per omnimodam indolentiam, per jucundissimam sensuum expletionem, perque alias supra modum mirabiles roboris, agilitatis, & decoris prærogativas; tum, quod ad animum pertinet, per claram visionem incomprehensibilis suæ pul-

pulchritudinis, p̄rque largissimam participationem infiniti sui gaudii: neque id ad certi alicujus temporis spatium, sed per totam, quantacunque est, æternitatem, sinè ullo timore, nè unquam, non dico, defectura, sed vel mini ni quidquam detrimenti sensura sit perfectissima eorum beatitas? Certè nemo non videt, tantùm hanc partem alteri antecellere, ut injuriosum ei esset, cum illa in comparisonem vocari. Quamobrem, si non alia de causa divitias, honores, sensuumque oblectationes amamus; nisi propter fructum, qui indè percipi solet; quidni tantò impensius bonis his omnibus DEUM amandum putemus; quantò ampliorem perfectionis, & jucunditatis fructum nobis provenire ex eo uno, quàm ex iis omnibus simul coacervatis fatemur? Aut, si ipsum plùs iis omnibus amandum putamus, quidni parati esse debeamus ad ea omnia, quoties obtineri unà cum ipso nequeunt, præ ipso abdicanda? Quisnam voluptatis amator non eam mavult ibi quærere, unde uberior, quàm ibi, unde parcior promanat? Aut ubinam cernere avarum contigit, qui majoribus lucris minora anteferet? Amentur ergo, si ità libet, bona creata, sed non plus summo bo-

bono. Quærantur, sed nunquam cum summi boni dispendio. Possideantur, sed non adeò tenaciter, ut, si quando vel ipsis, vel summo bono carendum fuerit; eligamus pro ipsorum conservatione, hujus jacturam facere. Alioquin, secundum verissimam D. Augustini conclusionem, res creatas plus earum Conditor, hoc est minus nostrum bonum plus maximo diligentes, arguemur non DEUM modò, sed & nos ipsos minus justo diligere. *Quid eligamus, ita S. Doctor, quod præcipue diligamus, nisi quo nil melius invenimus? Hic est DEUS. Cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. (Ep. 52.)*

4. Non tamen me fugit, quonam pacto excusare hic quispiam se possit de suo remissiori erga DEUM, quàm erga res creatas, amore, quoties harum aliquà fruiturus contra legem, voluntatèque illius agit. Dicit nempe, illum præsentis boni gustum divinæ legi contrarium, cum vel gravi culpa vacet, vel expiari illico per pœnitentiam possit, non habere vim hominis DEO æternum privandi: neque se ideo, dum creato illo bono fruitur, plus illud, quàm sempiternam, & beatam DEI possessionem, verum plus solum-

lummodo, quàm divinæ gratiæ seu temporariam conservationem, seu aliquod incrementum diligere. Sed prædicta excusatio nullius momenti est ad imprudentiæ, perversique ordinis culpam ab amore illius depellendam. DEUS quippe, non solum, prout in cælo per beatam sui visionem possidetur, sed prout etiam in terris per suam gratiam nobiscum conjungitur; bonum hominis est, quibuslibet aliis, quæ in præsentia vita expeti, & possideri ab eo possunt, sinè ulla comparatione excellentius. Quare, qui ex terreni alicujus boni amore divinam gratiam vel ad tempus repudiat, dubitari non potest, quin, quamdiu illo bono cum ipsa inso-ciabili pergit frui, minùs suum bonum majori plus amet. Præterquam quod certissimum est, quoties homo, ut obsequatur Deo, præsentia aliquo bono se abdicat, toties novum ab eo ulterioris in cælo beatitudinis gradum acquiri: certissimùmque itèm est, novum illum beatitudinis gradum ratione tum summi boni, quod indè augetur, tum infiniti temporis, quo ejus accessio prorogatur, supra quàm dici possit, caduco illo bono præstare, per cujus abdicationem acquiritur: adeò ut S. Teresa post conspectam

di-

divinitus cælestis gloriæ immensitatem professæ sit, si optio sibi daretur, vel tolerandi usque ad mundi exitum, quidquid tolerari ærumnarum in terris potest, atque hoc pacto majorem tantillò beatitudinem in cælo assequendi; vel confestim evolandi ad eam possidendam, sed pauxillò minorem; primam se partem ultro, & sinè ulla dubitatione electuram. Quamobrem, qui aliquo præsentis vitæ bono frui mavult, quàm illius abstinentiâ incrementum sibi æternæ beatitudinis promereri; nã is electione stultissima minimum bonum maximo suo bono anteponeat: ac proinde, cùm ex quovis divini obsequii, & amoris actu longè amplior percipiatur fructus, quàm ex possessione, & usura terreni cujuslibet boni; manifestum jam remanet, debere nos, si rectum in amando servare ordinem volumus, divinum amorem, atque obsequium terreno cuivis bono anteferre.

5. Adde, quòd DEUS diligi à nobis debet, non eo solùm amore, qui concupiscentiæ dicitur, prout videlicet bonum est possidenti maximè utile; verùm etiam, multòque magis amore, quo amici diliguntur, nimirum prout est summè bonus, & infinitè
per

per se ipsum amabilis. Unde nova oritur ratio, cur plùs ipsum quovis bono utili diligamus, nihil dubitantes horum cuilibet, quodocunque ipsius amicitiaè usus sic possit, nuntium remittere. Amicus siquidem, juxta dictum commune, est *alter ego*, & veluti unum quid, atque idem nobiscum. Quare, ceu nos ipsos plùs quolibet bonorum nobis utilium diligimus, sic DEUM quoque, si instar amici, hoc est, quasi unum quid nobiscum intueamur; plùs omnibus hisce bonis diligamus, necesse est: adeò ut nullum ex iis sit, quo in ejus gratiam parati non simus carere. Nec aliter profectò consueverunt se homines gerere vel erga mortales amicos, quorum causâ nullum charum adeò bonum est, quin eo plures ultro se exuerint. Exemplo sit, quantum ad gloriam, Joabus, copiarum Davidis ductor: adeò Regis sui, quàm honoris amantior, ut cum expugnaturus jamjam esset urbem Rabbat, eum misso nuntio ad ultimam imponendam obsidioni manum, captæque urbis laudem eo pacto sibi asserendam, in castra invitaverit: *Nè, in-
quiens, cum à me vastata fuerit urbs, nomini
meo adscribatur victoria.* (L. 2. Reg. c. 12.)
Exemplo, quantum ad vitæ commoditates,
Hy-

Hypsicrætea Mithridatis uxor : (*Val. Max.*
L. 4. c. 6.) quæ ex viri amore delicias sui se-
 xûs oblita, non timuit illius ceu bellantis,
 seu fugientis lateri, perpetua in equo comes,
 omniumque periculorum, & ærumnarum
 focia adhærere. Exemplo, quantum ad rem
 familiarem, Agathocles ille, qui, ut refert Lu-
 cianus, (*In Tox.*) ad amici Diniæ pauperta-
 tem levandam, nil dubitavit vel paternam
 domum venundare. Exemplo, quantum
 ad libertatem, Dandamis Scytha, qui, eo-
 dem Luciano teste, (*Ibid.*) ut amicum à ca-
 ptivitate redimeret, in illius vincula volens
 libens succedaneum se obtulit. Exemplo,
 quantum ad ipsammet vitam, Drimachus la-
 tronum Princeps, qui, cum rescisset, am-
 plam mercedem se interficienti esse proposi-
 tam; charum inprimis sodalem induxit, ut
 sibi caput præcideret, magistratibus pro pa-
 cta pecunia exhibendum: tanti habens eru-
 entam mortem oppetere, dum illius pretio
 amicum ditaret. (*Athen. L. 6.*) Si ergo hi,
 quos recensui, plus quavis sua utilitate domi-
 nos dilexere, atque amicos mortales, ultro-
 neam eorum respectu facientes quorumvis
 bonorum jacturam; conjectare hinc fas est,
 quanto æquius idem faciendum à nobis sit;

D

im-

immortalis nostri amici, & Domini gratia à
 à cuius gratuita erga nos charitate, & munifi-
 ficentia profluxit, quidquid possidemus bo-
 norum: quippe incomparabiliter plus diligi
 à nobis meretur, quàm persona ulla morta-
 lis, quantumcunque sive ob egregias suas do-
 tes, sive ob congesta in nos beneficia, sive ob
 naturalem nobiscum conjunctionem amabi-
 lis: prout & secundo loco affirmavi, &
 demonstrare jam aggredior.

6. Neque ad id præstandum aliis opus
 mihi est argumentis, nisi ut brevissimè innue-
 am, quantò ipsi excellentius unumquodque
 ex prædictis tribus nominibus, quàm ulli
 mortalium conveniat. Nam, sive natura-
 lis necessitudo attendatur; & palàm apparet,
 sicut à nullo ente creato penitius, quàm à
 DEO, tum in prima nostri productione, tum
 in perpetua deinceps conservatione pende-
 mus; sic neque cum ullo alio arctiori nos,
 quàm cum ipso naturæ nexu conjungi: sive
 grati animi, mutuique amoris obligatio ex
 acceptis beneficiis contracta observetur; &
 quis tot hominum, tamque eximia munificæ
 charitatis pignora exhibuit, quin ulterius si-
 nè ulla comparatione progressa sit in bene-
 merendo de nobis infinita DEI bonitas? sive

de

demum singularia naturæ, personæve attendantur decora; & quotusquisque meridiana luce clariùs non videt, quàm immenso intervallo, non cujuslibet modò entis creati, sed & quotquot vel creata sunt, vel creari possunt, entium decora ab omnifaria increati, supremique entis perfectione excedantur. Quocirca, si ideo hanc, vel illam personam amamus, quia aliquem ex commemoratis tribus titulis in ea deprehendimus, tantòque amamus magis, quantò illam major eorundem seu numerus, seu præstantia commendat; quidni tantò earum qualibet DEUM amare amplius debebimus, quantò excellentiori ratione omnes ii tituli in ipso concurrunt? Debeamus sanè: profitentes idcirco de hominum quolibet ad DEUM comparato, quod de Socrate, & Platone ad veritatem comparatis, profitebatur Stagiritis Philosophus, (*Vid. L. 1. Eth. c. 6.*) *Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica Veritas.* Addeò ut nemo sit, seu tam arcto sanguinis nexu nobis conjunctus, seu tam præclarè de nobis meritis, seu tam eximiis ornatus dotibus, seu tam longo, intimòque usu familiaris, cujus gratiæ, & voluntati dubitemus divinam præferre: & cum quo divortium re-

nuamus facere, nè à DEO separemur. Haudquaquam ejus exemplo, qui invitatus à Christo, ut sibi adhæreret, sepeliendi patris curam antiquiorem habuit, respondens, (Luc. 9.) *Permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum*: cùm deberet advertere, quod Chrysologus postea monuit, (Serm. 19.) *Terrenum patrem cælesti postponendum esse Patri*, sed potius eorum in deserto Levitarum similes, qui, cùm divinæ gloriæ causa ageretur, (Deuter. 33.) *Dixerunt patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro vos: & nescierunt filios suos*: digni enim verò Abrahæ nepotes, qui Isaacum ad montem ducens, ubi immolandus DEI jussu erat, quamvis ab eo nuncupari patrem se audiret, eumque vicissim appellaret filium; non tamen vacillabat in proposito divini circa ipsum exequendi præcepti: *nec paterni nominis appellatione revocatur*, ceu de illo scripsit D. Ambrosius, *cùm ille patrem vocaret, hic filium. Chara quidem nominum pignora, sed amabiliora præcepta. Itaque, licet compaterentur corda, vota durabant*. (Or. de fide Resur.) Quia videlicet, secundum epiphonema ejusdem sancti Doctoris, *preferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati*. Neque magnum quid videri potest

si homo personas sibi maximè charas honori divino sacrificet, postquam DEUS hominis gratiâ ipsammet morti obtulit unigeniti, & consubstantialis sui Filii personam: *proprio Filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (Ad Rom. 8.)

7. Reliquum est ad perfectum amoris ordinem, ut DEUM non modò supra omnes tum res nobis utiles, tum personas nobis charas, verùm supra etiam nos ipsos amemus. Et paucæ fors nobis, aut obscuræ, exiguèque ponderis causæ adfunt, talem ipsi locum in nostra voluntate assignandi? Prima ducitur ex ipsius bonitate, & perfectione, quæ, sicut omnem aliam infinitè excedit, ità procul dubio meretur, ut eum infinito plùs aliis rebus omnibus, quæ à nobis distinctæ sunt, diligamus. Cùm enim par sit, ut eum infinito plùs amemus, quàm quidquid rerum creatarum à nobis distinguitur; non autem par sit, ut nos ipsos, nisi finitè plùs aliis rebus creatis amemus; evidenter hinc sequitur, par esse, ut eum plùs nobis amemus. Quemadmodum ex eo, quòd pinus magis, quàm ulmus altitudinem coryli exuperat; necessariò unusquisque arguat, majorem pini esse, quàm ulmi altitudinem.

Quod ex duobus magis excedit tertium, majus est altero. Neque ad idem evincendum minus valet jus illud, quod fini cuilibet naturaliter convenit; ut in amando instrumentis suis præferatur, tanquam iis, quæ omnem ab ipso amabilitatem suam ducunt; ac proinde, si prædita sensu essent, juxtaque rationem operari vellent, non tam sui, quam finis gratiâ, & consequenter illo minus se amare deberent. Cui certissimæ veritati si adjungamus, non habere hominem, imò nec habere posse pro ultimo fine absoluto se ipsum; sed necessariò Conditoris sui gratiâ esse, tanquam divinæ ipsius gloriæ instrumentum; colligemus procul dubio, debere illum non tam sui, quam DEI gratiâ, nec unquam nisi DEO minus se amare. Accedit præterea, quòd DEUS non est aliquid sejunctum à nobis, sed potissimum veriùs, intimùmque esse nostrum: nempe illud esse primarium, in quo unusquisque magis, quam in semet ipso subsistit, & à quò magis, quam ab ipsa anima habet, quòd vivat. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Et ipse est esse rebus, vitâ viventium, essentia entium, omnis principii superoriginale principium, ceu à Doctore Gentium Paulo, & Dionysio Areopagita illius

discipulo traditur. (*Act. Ap. c. 17. de Div. Nom. c. 1. & 5. & de cal. Hier. c. 5.*) Quemadmodum igitur unusquisque creatum suum esse sic amat, ut magis præcipuas, & necessarias illius partes minus talibus chariores habeat, plus animam exempli gratiâ amans, quam corpus, plusque in ipso corpore cor, & caput, quam pedes; haud aliter unusquisque etiam principem suam in DEO subsistentiam, & vitam amare plus debet, secundaria, & inferiori alia, per quam in se ipso subsistit, ac vivit: hoc est plus amare increatum, & universale omnium, quæ sunt, quam creatum, & peculiare suum esse. Denique nemo inficiari potest, beatos cæli Cives à præcipua DEI visione ad eum, & quidem necessariò plus se ipsis amandum impelli. Ergo neque inficiari quisquam potest, inesse DEO meritum, ut eò usque ametur: ac proinde necessarium omnino esse, ut, quisquis respondere illius meritis vult, plus se ipso illum amet. Licet quippe ratiocinari in hunc modum: Circa cujuslibet rei qualitates illorum potius iudicio stare oportet, qui magis, quam qui minus idonei ad pernosendas eas sunt, circa colores exempli gratiâ bene oculati, quam lusi homines, & circa saporès fani, quam

D 4 agro-

ægroti iudicio. Jam verò certissimum est, beatos Cælites, qui DEUM palàm in ipsa essentia sua vident, meliùs comparatos esse ad iudicandum de nativa ipsius amabilitate, quàm nos mortales, qui eum nunquam nisi in obscurissimis ænigmatibus, & simulacris, à propria illius specie alienissimis vidimus. Cùm ergo cælestes illi spiritus experiantur, ac sentiant, longè quavis re alia, nè se ipsi quidem exceptis, amabiliorem, magisque amandum eum esse; planissimè sequitur, idem prorsus sentiendum nobis quoque esse, si legitimè volumus, & secundùm rectam rationem sentire.

8. His tamen rationibus nonnulli non acquiescunt, objicientes, nimiùm quàm sibi durum, & captu arduum videri, quoniam modo possit quispiam aliud quid se impensius amare. Cùm amor nostri sit ea animi affectio, quam nobis ab ipso statim exortu primam, & omni alia vehementiorem naturam indidit. Unde ab ipso, tanquam ab universali exemplo, atque regula modum, rationemque amandi alia desumimus. Atque ita se sentire ostendit Orator Romanus, dum scribit: (L. 2. Qu. Tuscul.) *Præclarum illud est, & si queris, rectum quoque, & verum,*

eos, qui nobis charissimi esse debent, æquè ac nos-
 met ipsos amemus. Ut verò plùs, fieri nullo pa-
 cto potest. Nè optandum quidem est in amicitia,
 ut me ille plùs, quàm se amet, ego illum plùs,
 quàm me. Perturbatio vitæ, si ita sit, atque of-
 ficiorum omnium consequatur. Nec diversa A-
 ristotelis fuisse opinio videtur in nono Ethicorum
 libro, dicentis: (c. 8.) Omnia, qui-
 bus amicus definitur, unicuique erga se ipsum ma-
 ximè insunt. Dictum siquidem est, omnia, quæ
 ad amicitiam pertinent, à se ipso ad alios deve-
 nire. Proverbia itè consentiunt: ut una anima;
 & amicorum omnia communia: & amicitia æ-
 qualitas: & tibi genu propinquius. Omnia enim
 hæc unicuique erga se ipsum maxime insunt: quip-
 pe cum amicus maxime sibi ipsi sit. His ergo
 ut satisfaciam, moneo illos primùm, multa
 inexpertis, neque altiùs rem examinantibus
 incredibilia videri, quæ, si eorum vel peri-
 culum facias, vel rationes perpendas, haud
 magno negotio intelliges. Si itaque ipsi
 haud percipiunt, quàm homo possit DEUM
 se ipso impensius amare; contentur amorem
 concipere, qualis, & quantus flagrare in san-
 ctorum virorum cordibus solet; idque non
 solum fieri posse agnoscent, sed à se ipsis eti-
 am revera fieri percipient: examinent, quas

mòdò attulimus , rei rationes , eámque , si non ità dilucidè , ut , qui experiendo sentiunt , tanta saltèm cum alacritate intelligent , quanta ad credendam , fatendámque illius possibilitatem sufficiat. Ego quidem nedum nihil difficultatis in huiusmodi erga DEUM amore deprehendo ; sed minimè etiam video , qui eodem aliquis possit vel mortalem aliam personam diligere : adeò ut nihil æquè optet , ac eam lætam , & felicem videre : quæ illi accidunt infortunia , ægriùs , quàm si eadem sibi acciderent , ferat : de illius bona valetudine , glòria , commodis , lucris , aliisque successibus magis , quàm de suis ejusdem generis prosperitatibus gaudeat : nulloque non honorum , quæ possidet , paratus sit ultro illi cedere , & consequenter plùs se ipso illam diligat.

9. Nègò deinde , amorem nòstri esse inter cæteros quosque amores præcipuum , & ad quem validissimo nisu à natura urgeamur : quin contra cum Doctore Angelico affirmo ; (Vid. 1. p. qu. 60. a. 5. & 1. 2. qu. 109. a. 3.) animam hominis non solùm ab infuso divinitus charitatis habitu , sed ab ipso quoque ipsi innato appetitu ad DEUM plùs se ipsa amandum impelli. Cùm & appetitus ratio-

na-

nalis ad ea omnia propendeat, quæ ratio natu-
 ralis ipsi approbat; & hæc, ut paulò ante o-
 stendimus, disertissimis intrà animum voci-
 bus clamet, DEUM esse ab unoquoque ho-
 minum plùs omni re alia, imò etiam plùs ip-
 so se amandum. Unde Suarius docet, (*De
 Char. Diss. I. Sect. 5. n. 4.*) si primævæ status
 justitiæ etiamnum permaneret, facillimum,
 suavissimùmque hominibus fore, DEUM si-
 bi in amando anteferre, uti facillimè, sua-
 vissimèque quibuslibet aliis rebus creatis se
 ipsos anteferunt. Quòd si in statu præsentì
 vehementiores ad nostri, quàm ad DEI a-
 morem experimur animi instinctus; unum
 id, & nocentissimum quidem vitiorum est,
 quæ ex primi parentis culpa in nostram na-
 turam fluxerunt; sed vitium, quod instar a-
 liorum ejusdem culpæ effectuum, divina o-
 pitulante gratia, corrigi potest: ut illud cor-
 rectum videmus fuisse à tot sanctissimis viris,
 in quorum animo sui amor non modò non
 obtinebat principatum, sed vix videbatur
 superesse, usque adeò DEI amor omnem pe-
 nè illius vim, atque sensum extinxerat.

10. Quod denique ad prolata ex advet-
 so veterum Sapientum testimonia attinet, re-
 spondeo, eos esse ibi locutos de autore nô-
 stri,

firi, quando is in contentionem venit cum amore non quidem summi entis, sed amicorum duntaxat mortalium. Patet id, quantum ad Ciceronem, ex ratione, qua probat, nemini amicum plus se ipso esse amandum, quia scilicet *perturbatio vitæ, si ita sit, atque officiorum omnium consequatur.* Cùm manifestum sit, perturbationem hujusmodi nullo pacto consequi, vel timeri ex eo posse, quod homines DEUM se ipsis plus ament. Nec de Aristotele secus existimandum, si perpendatur, quod alibi docuit: nimirum debere unumquemque civium intueri se ipsum, non quasi rem suam, sed quasi partem Reipublicæ: quod perinde est, ac debere impensiori cura, & charitate affici erga Rempublicam, quàm erga se ipsum; cùm, ut ibi protinus subditur, cura, & amor cujuslibet partis ad curam, & amorem totius dirigi debeat. En Philosophi verba: (L. 8. Polit. c. 1.) *Non debet quisque civis se suum existimare, sed civitatis. Particula quippe civitatis unusquisque est. Cura vero singularum particularum respicere natura est ad curam totius.* Sed minimi profectò interest, quæ utriusque ibi mens fuerit. In quocunque sensu locuti sunt, nullius hic momenti eorum autoritas est: utpote hominum

num, qui veræ fidei expertes minus de divi-
nis rebus cognoverunt, quàm nostrates pue-
ri, ac mulierculæ noverint. Cui tam exi-
guæ circa DEUM intelligentiæ majus etiam
amoris erga eundem frigus respondit: lucu-
lenter se prodens tum in eorum vita, terre-
nis usquequaque curis dedita, tum in libris,
ubi nè minima quidem mentio, aut scintilla
sacri illius ignis occurrit. Adeò ut Aristote-
les in secundo magnorum Moralium pro ab-
surda re habeat, quòd aliquis profiteatur De-
um à se amari. negans, ideo veram reperiri
posse inter DEUM, hominésque amicitiam,
Nam, prout ibi ait, (c. 12.) *Amicitiam ibi
esse dicimus, ubi amor reciprocus. At amicitia er-
ga DEUM neutiquam reciprocum, & nè amare
quidem suscipit. Alienum quippe fuerit, si quis-
piam dixerit, Jovem amare. Et hujusmodi
authöribus præbendas nos aures putabimus,
pensique faciendum, quid de amore illo sen-
serint, cujus sacram artem nè à priño qui-
dem limine salutârunt? Valeant enim verò
cum suis ex humana Philosophia haustis dog-
matibus: & nobis, qui habemus firmiorem pro-
pheticum sermonem, concludendum relinquunt,
si homines vehementiori instinctu ad se ip-
sos, quàm ad DEUM amandum urgentur;*
mora

morbum hunc esse ab hæreditaria Adami no-
 xa in ipsis productum. Quo tamen nequid-
 quam obsistente, naturalis ratio clara voce
 testatur, non sui, sed DEI amorem illum ef-
 se, cui dominatus in hominis voluntate con-
 veniat: quique instar primariæ, & universa-
 lis regulæ modum, rationem, ac mensuram
 præscribere quibuscunque aliis rerum crea-
 tarum amoribus debeat.

CAPUT III.

In quo posita sit, & quanta
 esse debeat exuperatio amoris er-
 ga DEUM præ amore erga nos ipsos.
 Tres proponuntur illius gradus: de que
 primo agitur, qui est, quo vis bono spo-
 liari, & quidvis malorum pati citius
 velle, quam DEUM gravi culpa
 offendere.

Duo sunt modi, quibus unum
 quidpiam plus amari altero po-
 test: vel scilicet secundum affe-
 ctionis vehementiam, ut quan-
 do incitatori, & magis sensibili motu in il-
 lud, quam in alterum, tendit voluntas, vel se-